

B. N. 1319  
h. 62, 12.

(X187 7923)

D. O. M. A.

DE

IIk  
2590

# HYPOTHECA LEGALI IN FODINIS ET PARTIBUS METALLICIS,

*Ex Decreto*

*Incluti J Ctorum Ordinis*

S U B P RÆS I D I O

*Illustris Academiae Witebergensis*

*RECTORIS MAGNIFICI,*

*D O M I N I*

**CASP. HENR. HORNII,**  
**J. V. D. & Pandect. P. P. Curiae Provinc.**

*Scabinatus & Facultatis Juridicae, nec non Judicii Provinc.  
in Marchion. inferioris Lusatiae*

*Assessoris,*

*Domini, Patroni, ac Praeceptoris sui summo  
observantiae cultu aetatem sancte prosequendi,*

*In J Ctorum Auditorio*

D. Sept. M DCIC.

*Disputabit H. C.*


AUTOR


**GEORG. CAROL. LOSSIUS, Grünhayn. Misn.**

**VITEMBERGÆ, Literis HAKIANIS.**

21.







# DE HYPOTHECA LEGALI IN FODINIS ET PARTIBUS METALLICIS.

## Theſ. I.



Rdua quidem res est, ea, quae altioris indaginis sunt, momento suo ponderare accuratius: in inquirendis tamen iisdē cum turpe sit defatigari, dum sint pulcerrima, satisqve habent utilitatis; in iis qvoqve, quae mihi proposita sunt difficultas, iusti superiorum obtemperandum, imprimis cum hoc ipsum

utilitas svadeat. Mallem eqvidem aliorum vestigiis hujus in rei cognitione insistere, qvam ipse pedem in terra inculta ponere, qui vires meas imbecilles intelligo. Ego tamen in me convenire illud confisus, qvod Plinio arriet: Tutius per plana, sed humilius & depresso iter; frequentior currentibus qvam reptantibus lapsus; sed & his non labentibus nulla laus, illis nonnulla laus, etiam si labantur: DEO O. M. adjuvante, ad id, in qvod animus fert, me accingo.

## Theſ. II.

Implorato divino Numinis, anteqvam ipsam Thematris arcem ingrediar, ne receptas hactenus disputantium, leges transiliisse videar, pauca de Hypothecis iisqve Ta-

## DE HYPOTHECA LEGALI IN FODINIS

citis praesertim, praemittenda erunt, qvo ista, qvae proponuntur, intelligentur dilucidius.

### Thef. III.

Hypothecae vox originem suam debet Graeciae, & derivatur ἀπὸ τῆς ὑποθέσεως, supponere, quod idem esse, ac obligare & oppignorare, testatur rubr. ff. de reb. eor. qui sub tut. vel. Cur. sunt, sine decreto non alien. vel supponendis. l. 7. pr. l. 8. §. l. C. de praescript. 30. ann. l. ult. C. qvae res pign. Anton. Neguz. de pignor. in pr. n. 2. Perez. ad C. de pignor. n. I. Veteres Icti vocabulum Fiduciae usurpabant. De Fiducia vid. Rosin. Antiqu. Rom. lib. 9. c. 5. Imo usus Fiduciae frequentior erat, quam hypothecae seu pignoris. Vinn. Comment. ad §. 7. I. de Action. n. 7. Bachov. lib. I. de Pignor. c. 15. n. I. Godofr. ad l. 3. C. Theodos. tom. I. tit. 2. de Leg. Commiss. Idem exprimit loquendi formula in mediis seculis usitata: in vadium dare, vadio dare, vadio supponere. c. I. X. de pignor. Rittershus. ad l. 23. de R. J. cap. 8.

### Thef. IV.

Denotat Hypotheca vel [1] ipsam rem hypothecae datam. §. 7. J. de Action. l. 2. l. 13. §. 4. 5. 6. ff. de pignor. Et hypoth. vel (2) conventionem de hypothecae constitutio- ne. l. 4. pr. l. 5. eod. vel denique (3) jus aliquod reale, cu- jus vis non personam, sed ipsam rem constringit. l. 9. C. qvi pot. in pign. l. 18. C. de pignor. §. 7. J. de Action. atque describitur jus in re debitoris creditoris constitutum, in se- curitatem crediti. l. 30. de noxal. action. l. 19. pr. ff. de damn. infect. l. 18. §. 2. ff. de pignor. action. Haec significatio po- tissimum est hujus loci, non tamen plane exclusa priori. Secunda vero non adeo huc pertinet, cum de ea hypo- theca nobis agendum, qvae sine conventione a lege ipsa con-

constituitur. Differt autem hypotheca a pignore, [qvac vox itidem modo rem ipsam, modo contractum pignoratium, modo Jus pignoris Creditori acquisitum reale, infert. C. J. A. tit. de pignorat. act. Th. 3.] non quidem ea ratione, qvod pignus in mobilibus, hypothecam in immobilibus deprehendas, B. Brunn. ad L. sitem alienam. 9. §. 2. n. 4. ff. de pignorat. act. Dn. Hopp. ad §. 7. J. de Action. Verum ita divertunt potius, qvod possessio rei, qvae pignori data, vel in qva jus pignoris constituitur, in creditorem transferatur: res autē, qvae hypothecae oneri subjicitur, vel in qva hypotheca constituitur, maneat penes debitorem. Diversa quoq; istorum natura est in usucapione, qvatenus pign9 in tertium qvendā translatum. Si enim debitor creditori tenenti pignus auffert, & deinde vendit, usucapio locum obtinet, & huc pertinet l. 4. §. 21. de Usurpat. Et Usucap. l. 5. ff. pro Emtor. qvoniam postqvam furtum factum est, res in potestate debitoris fuit, & debitor pignus surripiens furtum rei non facit, sed possessionis duntaxat, quo res ipsa in vendendo affici non videtur. Sin vero debitor non possidente creditore pignus alii vendidit, ab emtore usucapio non potest, qvia ipsa venditione furtum committitur. l. 66. ff. de furt. l. 6. C. de Usucap. pro Emt. & hoc modo utiqve discrimin pignus inter & hypothecam admittendum. Magnif. Dn. Berg. Resolut. Lauterb. tit. de Usurp. Et Usucap. qu. 3.

## Thes. V.

Hypotheca ratione causae efficientis in publicam, & privatam dividi solet. De hac, qvac vel conventione vel testamento constituitur, in praesens mihi dicendum, non est, nisi qvod obiter obseruem, conventionalem,   
 alud pacto

## DE HYPOTHECA LEGALI IN FODINIS

pacto legitimo constitui, quod Praetor, custos Juris Civilis, tuetur. l. 4. ff. de pignor. & hypoth. l. 17. §. 2. de Pact. Et quidem primum a Servio id factum esse, intuitu colonorum, notum est: postmodum autem extensum est ad alios omnes pacto hypothecam constituentes. §. 7. 3. de Action. ubi Vinn. d. l. 4. ff. de pignor. & hypoth. Equidem pactum hoc legitimum posse dici, multi negant, cum ex eo pacto nulla obligatio, nulla actio personalis oriatur, qui alias effectus sunt pacti legitimi. Sed quoniam ex tali pacto per assistentiam Juris Praetorii Jus in re & actio realis oritur, non adeo inconveniens erit, & hanc conventionem legitimum pactum vocari; cui pacto Juris Praetorii auctoritas contra naturam conventionum illud tribuit, ut jus in re sine traditione producere queat. l. 20. C. de pact. d. l. 17. §. 2. de pact. licet nonnulli traditionem fictam vel presumtam supponunt. Cum tamen haec traditio & fictio ex Jure Praetorio ortum capiat, res eodem recidet, nec ullus erit in re dissensus, sed tantum lusus in verbis apparebit.

Thef. VI.

Publica introducitur vel a Lege, vel a Magistratu; de quorum prima, non de altera specie, mihi erit sermo. Est vero legalis illa, quae sine expressa conventione ex legis vel statuti dispositione nascitur. l. 1. C. comm. de legat. l. 4. ff. de Pact. l. 6. in f. C. de bon. quae lib. Quoniam autem lex hypothecae jus tribuens aequitate svadente praesumit, partes voluisse ejusmodi hypothecam constituere, licet nihil de hac re dictum fuerit, quasi que tacite id actum esset. l. 2. 4. 6. in quibus caus. pign. vel hypoth. idcirco haec legalis hypotheca tacita vocari solet. d. l. 1. C. de bon. quae lib. l. un. §. 1. C. de R. V. A. l. 1. C. comm. de legat. vocabulo

ET PARTIBUS METALLICIS.

bulo taciti eo sensu accepto, ut idem sit, ac prae sumptum  
qvod alias, si exqvisite loqui velimus, a tacito differt.  
Vinn. ad pr. 3. de Oblig. quae qvas ex cont. nast. Dn. Berger.  
ad tit. Locat. Cond. in Resol. Lauterb. p. 414. Hanc obcau-  
sam Neratius in l. 4. ff. in qvib. caus. pign. vel hypoth. non  
simpliciter, tacite conventum fuisse, sed quasi id tacite con-  
venierit, dicit. jun. l. 13. §. 2. ff. Commod. Eandem prae-  
sumptionem illis quoque hypothecis tacitis, qvas nonnulli  
Doctorum legales ἀπλως appellant, & legalibus, qvas  
vocant, mixtis opponunt, Bachov. de hypoth. cap. 4. Franzk. ad  
tit. de pignor. Et hypoth. n. 31. inesse existimo, ut adeo  
ista legalis & mixtae distinctio otiosa videatur. Semper  
chim, ubi lex concedit, factum hominis adest, ex qvo ob  
acquitatem Legislator prae sumere potest & illum, in cuius  
bonis hypotheca constituitur, velle res suas obligatas, al-  
terum autem velle jus sibi esse constitutum, uti ex induc-  
tione exemplorum, si opus est, satis poterit cognosci. Cer-  
te illud hautquam negaverim, nec acquitatem nec  
prae sumptionem sufficere, nisi legis dispositio accedat, sive  
scripta, sive non scripta sit, sive etiam statuti nomine ve-  
niat, qvod uti notum est, vim habet legis obligantis, si  
modo rite recteqve sit conditum aut receptum. Qva  
propter si lex, sub qva etiam consuetudinem comprehen-  
do, vel statutum deficiat, non est Iusti, vel Judicis, hypo-  
thecam tacitam fingere. Atque hac ratione in Collegiis  
Wittenbergensibus Carpzovii sententiam rejectam fuisse,  
ex Dn. Praefide aliquoties audivi, qva furtum passo in bo-  
nis furis hypothecam tacitam tribuit. Pract. Crimin. p.  
2. qo. 80. n. 119. Cognitum itidem mihi est, in Scabinatu  
Lips. responsum fuisse, ante annum 1622. qvo Ordinatio  
Judi-

## DE HYPOTHECA LEGALI IN FODINIS

Judicialis Saxonica prodiit, pias causas in aliis, quam administratorum bonis, tacita hypotheca gavisas non esse, qva de re vid. §. 4. tit. 45. O. P. S. ubi demum piis causis jus istud indistincte tribuitur, cum jure communi ad administratorum bona tantum, uti communis sententia, Doctorum est, restrictum sit, vid. Dn. Martin. ad. d. §. 4.

### Thes. VII.

Tacitam hanc hypothecam dispescunt in Generalem & Specialem. Bachov. lib. I. de Pignor. c. 4. Lessius de J. & J. lib. 2. c. 17. dub. 6. n. 38. Hahn. ad Wefenbec. de pignor. n. 3. inf. Huber, ad ff. qvib. ex caus. pign. vel hypoth. §. I. Generalis ad V. capita redigi potest, & competit primò conjugi in bonis alterius conjugis. Sic datur uxori in bonis mariti (1) ad dotem restituendam. l. un. §. I. C. de R. V. A. O. P. S. tit. 43. pr. [2] pro conservandis bonis paraphernalibus. l. I. C. de pact. supr. dot. l. ult. §. fin. C. de pact. consent. O. P. S. d. l. §. was aber & tit. 45. §. unter andern. (3) marito pro consequenda dote & evictione praestanda in bonis uxoris vel ejus, qui dotem promisit. d. l. un. §. I. C. de R. V. A. Porro constituitur eadem liberis in bonis patris pro conservatione bonorum maternorum. l. 6. §. fin. C. de bon. quae lib. vel matris tutricis, rationibus nondum redditis, ad vota secunda properantis, & vitrici. l. 2. C. quand. mul. tut. offic. l. 3. l. 8. §. fin. C. de Secund. nupt. l. 6. C. in qvib. caus. pign. Perez. ibid. n. 9. Deinde succedunt pupilli & minores, qvibus hypotheca in bonis tutorum & curatorum prospicitur. l. 20. C. de administr. Tut. qvod privilegium ad civitates & universitates extenditur l. 3. C. de Jur. Reip. l. 4. C. ex qvibus caus. maj. atqve etiam ad Ecclesias, per l. 19. §. 23. C. de S. S. Eccles. quantum ad bona administratorum;

ET PARTIBUS METALLICIS.

torum : Jure tamen Saxonum Ecclesiis aliisque  
piis causis plenius prospectum. O. P. S. tit. 45.  
§. weil wir aber. Tum hoc privilegium fisco ap-  
plicatur, in bonis administratorum & debitorum suorum,  
in exactione censuum & tributorum. l. i. C. si propt. publ.  
pensit. l. i. C. in quib. caus. pign. atque bonis illorum, qui  
cum eo contrahunt l. z. C. quib. caus. pign. jun. l. 28. de Jur.  
Fisc. Etiam in poenis jure Saxon. gaudet hoc hypothecae  
jure a tempore condemnationis. O. P. S. tit. 43. §. des-  
gleichen. non Civili. l. 17. l. 37. ff. de Jur. Fisc. Denique  
tribuitur hoc jus legatariis & fideicommissariis. l. i. C.  
comm. de Legat. & fideicic. §. z. 7. de Legat. Has generales ex-  
cipiunt hypothecae speciales, quae competit (1) ei, qui  
in refectionem aedium credidit. l. i. ff. in quib. caus. pign.  
O. P. S. tit. 43. §. wenn auch einer. & quidem non tantum si  
ipsi domino, sed etiam redemptori operis pecunia vel cae-  
menta, tigna, lapides aliaque materia credita. d. l. i. conf.  
Vinn. in quaest. select. l. 2. c. 4. quae hypotheca tacita jure  
Electoralis Saxon. etiam ad eum casum, ubi ad aedificatio-  
nem novi aedificii vel etiam ad conservationem seu me-  
llorationem cujuscunque alterius rei quid creditum. O. P. S.  
tit. 43. §. wenn auch. ibique Ziegl. (2) Locatori pro pensi-  
one & deterioratione rei locatae in bonis conductoris illa-  
tis & inventis in praedium urbanum. l. 4. in quib. caus. pign.  
l. ult. C. eod. O. J. S. tit. 44. §. wenn auch. in praedio enim  
rustico praedii domino fructus obligati sunt tacite. l. 7.  
ff. d. t. l. 24. §. i. Locat. non tamen inventa aut illata, nisi  
nominatum id convenerit. d. l. 7. Ratione tradit Conan. Comm.  
l. 4. c. 16. n. 5. 6. Negus. de pignor. m. 4. p. 2. n. 145. (3) Pupil-  
lo in re ipsius penuria emta. l. 7. pr. quipotior. in pignil. pen.

B

C. de

## DE HYPOTHECA LEGALI IN FODINIS

C. de serv. pign. dat. l. 3. pr. ff. dereb. eor. qvi sunt subtut. vid.  
Bachov. de pignor. l. 2. c. 12. n. 4. Analogae hypothecae ta-  
citae species continetur in l. 15. de Captiv. & postlim. l. 2. C.  
cod. l. 20. l. 43. §. ult. ff. de legat. i. conf. latius Dn. Huber. ad  
ff. in quib. caus. pign.

### Thes. IIIX.

His ita positis ad institutum proprius deveniendum  
qvod eo tendit, ut disqviramus: Utrum in fodinis par-  
tibusqve metallicis & rebus co pertinenteribus locus sit le-  
gali seu tacitae hypothecae, tum speciali, tum generali.  
Qvid nomine fodinarum atqve partium metallicarum  
veniat, illi, qvibus in locis montanis metalliferisqve pa-  
tria vel domicilium contigit, facile intelligunt: reliqui  
ex Scriptoribus rerum metallicarum classicis, *Agricola*,  
*Löhneysio*, *Eisenbarto*, *Spanio*, & qvi summa rerum metalli-  
carum jurisqve hujus peritia omnibus antecellit, *Perillustri*  
*Dn. Scoenbergio*, hanc rem cognoscere possunt. Paucis  
vero sic habendum est, Metallifodinam locum esse venis  
refertum, ex qvibus metalla eruuntur. Hujus fodinae  
partes qvaedam visibles sunt, & veluti corporales, qva-  
les sunt putei, cuniculi, lacunae infimae, vena ipsae,  
*Schacht/Stollen/Erbteiffe/Gänge &c:* qvaedam in-  
corporales vel intellectuales, die *Ruge* / qvae oculis  
usurpari & demonstrari neqveunt. Atqve hae sunt il-  
iae partes, qvas socii vel exercitores fodinae pro in-  
diviso possident, pro indiviso etiam onera & commoda  
ferentes sentientesq; Illis partibus corporalibus quaedam  
accessoria adsunt, qvalia conspiciuntur aedificia, capsae  
puteales die *Hütt- und Zechenhäusser/Rawen/nec non instru-*  
*menta metallica resqve alias ad exercitium metallifodina-*  
rum

## ET PARTIBUS METALLICIS.

rum necessariae, nec non metalla eruta e terra, Vorrathen  
an Erzen &c. in quibus omnibus quilibet exercitorum  
tantam habet intellectualem partem, quantam in ipsa fo-  
dina: quae uberior explicare, nimis longum foret; nihil  
tamen ad rem praesentem facerent, atque adeo sufficiat  
*Agricolam allegasse de re metall. lib. 4. Löheys. p. I. p. 28. Eisenh.  
de Regal. metallif. Jur. cap. 3. & praesertim Perillust. Dn.  
Schoenbergian. d. l.*

### Thes. IX.

Et quod quidem attinet ad hypothecam specialem  
legalem, non adeo dubii multum esse potest soletque a-  
pud juris metallici peritos: quin potius affirmabunt o-  
mnes, illam jure metallico esse receptam, atque quibus-  
dam casibus locum invenire. Casus autem illos recenset  
*Perillustris Schoenbergius Inform. Metall. d. l. p. 234.* Sci-  
licet primo speciale pignus legale competit metallicis rati-  
one mercedis in metallis erutis (denen Arbeitern wegen der  
Löhne an denen gewonnenen Erzen:) cuius mercedis omniū  
etiam prima causa est, si alii creditores concurrant. Qvo-  
niam enim metalla illa eruta non essent, si opera metal-  
licorum non accessisset, aequum est, illos omnibus praef-  
ferri, credendumque, dominos fodinae partiumque me-  
tallicarum reale quoddam jus ob hanc mercedem magno  
sudore laboreque constantem non invidere his homini-  
bus, qui exercitorum causa vitam quotidianiis periculis ex-  
ponunt. Etsi vero in legibus metallicis tum in his, tum  
in aliis regionibus usitatis non memini me legisse de hy-  
potheca tacita vel legali esse quid constitutum expres-  
se: non tamen absconum erit, illuc trahere verba *Ordin.  
Metall. Elect. Saxon. art. I. ibi*: Da man umb aussändige  
B 2

Zubusse

## DE HYPOTHECA LEGALI IN FODINIS

Zubusse sc. & Ord. Metall. Mansfeld. art. 40. inf. Dum enim ob hoc & similia debita executio in partes metallicas earumque accessoria ibidem conceditur, in reliquis debitibus vero denegatur, personalisque actio tantum relinquitur creditori, dicendum videtur reali jure debita illa esse munita: quod reale jus cum nec ex hypotheca expressa nec ex praetoria descendat, nec ex arresto proveniat, necesse est, ut ad pignus legale referatur. Saltē hoc certum, ulum atque mores haec ita interpretari atque hypothecam tacitam tribuere: quam & consuetudine introduci posse, supra dictum, quae metallicis rebus maximum momentum affert, & plura saepe, quam Jus scriptum definit. Secundo eandem hypothecam tacitam sumtus excoctorii, Hüttenosten/ habent, quorum ratio eodem fundamento, ac mercedes metallicorum, fere nititur. Ord. Metall. Saxon. d. l. verb. Hüttenost. Ord. Mansfeld. d. l. ibi. Hüttenosten. Potest tamen & pro his argumentum peti ex illis legibus, quae supra pro hypotheca in rebus illatis in rem conductam sunt allata, tum ex jure Rom, tum Saxonico. Quando enim exercitores fodinarū propriis officinis excoctoriis destituti, crutum aes ad ejusmodi officinas perferunt, nihil aliud agunt, quam ut usum officinae vel partem illius mercere quadam conducant: atque cum ejusmodi officinae ad praedia urbana referendas sint, illata in easdem merito tacitae hypothecae nexu devinciuntur. Nec dubium movere potest, si quis objiciat, ejusmodi res non eo animo inferri, ut ibidem deinceps perpetuo sint, quod exigit l. 7. §. 1. ff. in quib. caus. pign. Namque intelligendum id est sano sensu, de eo tempore, quamdiu locutio durat. Struv. Exerc. 26. tb. 16. Tamdiu autem in officinis illas res utique manent.

## ET PARTIBUS METALLICIS.

manere certum est, quamdiu opera ista, cuius gratia conductio facta, nondum est finita. Tertio huc pertinent aliae praestationes, decimarum nempe similesque, Gehenden und andere Gebühren / ad quas etiam pertinere existimo illam recognitionem, quam vocant das Necessgeld/ de qua vid. Eisenhart. l. c. cap. 5. tb. 6. seqq. quarum intuitu tacita hypotheca ex d. art. 1. O. M. S. ejusque interpretatione usuali itidem derivari potest. Quarto ejusmodi pignoris legalis jure fruuntur illi, qui consensu Judicii metallici atque exercitorum ad exercendam colendamque fodinam pecuniam crediderunt ; (quod ita intelligo, si de hypotheca expressa nihil actum, nam hoc si factum, non tacita sed expressa hypotheca constituta est) & in universum omnia debita in utilitatem fodinac versa contractaque. Id quod pari ratione ex isto art. 1. deduci potest, cui insuper argumentum ex §. Wenn auch art. 43. O. P. S. accedit. Singularia quaedam videri possunt in O. Mansfeld. art. 40. quae referre hic non vacat. conf. Span. Berg. Urtel-Buch. tit. II. §. 2. n. 389. seqq.

### Thes. X.

De generali illa hypotheca legali si quaeratur, res invado non est, notumque, graviter saepe utramque in partem hac de re inter juris metallici peritos disputatum esse. Etsi vero aliquando a non nemine existimatum fuit, rem ex parte negantium plane confessam esse, ut parum abfuerit, quin consulenti ex l. Domitius. 27. ff. qui testam. fac. poss. responderit : aut non intelligo, quid sit, de quo me consulueris, aut valde stulta est consultatio tua : ex sequentibus tamen puto, apparebit, non deesse idonea argumen-

## DE HYPOTHECA LEGALI IN FODINIS

gumenta affirmantibus, qvibus sententiam suam firment; Utrorumqve, vero jam excutienda erunt.

Thef. XI.

Negantium potissimum & primarium argumentum ex art. I. saepius alleg. Ord. Met. Christian. I. piae memoriae, depromitur, qvo fodinac partesqve metallicae ab omni actione liberac esse jubentur, omnisqve executio & satisfactio intuitu illarum denegatur, nisi debitum metallicum sit, ob qvod actio instituta. Verba ipsa ita se habent: Da sichs aber zutrige / daß einer bey unsren Bergwercken säßhaftig oder nicht gesessen / in oder außer unserer Fürstenthum einige Schuld gemacht hätte / und zu desselben Bergtheilen geklaget würde / so soll nicht zu denen Bergtheilen / sondern zu seiner / des Gewercken/ Person geholffen werden/ doch ausgeschlossen die Bergschuld / da man umb aussständige Zubuß / Hüttenkosten und vergleichen zumahnen hätte / da aber die Hauptschuldner verstorben / und sich ihre Erben oder andere der Bergtheil und Nutzung derselben unterfahen wolten / zu denenselben Personen / und nicht zu denen Theilen / mögen sich die Gläubiger / obberührter Gestalt gleichfalls halten. Qvod ex parte in Dizi Georgi Ordin. art. 128. qvoqve habetur §. Wiewohl anhero: cuius rei ratio haec esse videtur, ut privilegio hoc homines magis magisq; ad culturam fodinarum metallicarum invitarentur. His ipsis omnia extingvi videntur, qvae Romana Jurisprudentia multis curis atqve vigiliis de tacitis hypothecis generalibus excogitavit, probaruntqve passim Germanicarum provinciarum constitutiones. Qvod si enim actio locum non invenit, qvae debitum metallicum non persequitur, necesse est, realem etiam actionem, qvam hypotheca generalis

## ET PARTIBUS METALLICIS.

incralis tacita parit, hic excludi. Qvod dilucidius Mansfeldica Ordinatio art. 1. proponere videtur, dum expressas hypothecas admittit, atque sic contrario sensu tacitas removere credibile est, verb. oder die Bergtheile von dem Bergambte expresse verpfändet. Qvin & Fisco hypotheca tacita denegatur in dict. art. 1. verb. Darneben wollen wir uns auch aller confiscation, so sich aus Straff oder Verbrechung der Gewerken im Kriege oder Friede zutragen möchten / gegen solchen ihren Bergtheilen und Nutzungen hiermit gnädiglich verzeihen / und allein mit Straff gegen denen Personen verfahren lassen. conf. Ord. Met. Mansfeld. d. art. 1. Excipiuntur vero casus, si debitor vel illius heredes pro derelictis habeant partes, vel juri suo renuncient. O. M. d. art. 1. §. Wolten aber: vel nullus cognatus adfit, qui mortuo delinquentे ad legitimam hereditatem adspirare possit. inf. d. art. 1. quae exceptiones in casib⁹ non exceptis firmant regulam. 1. cum Praetor. 12. ff. de Judic. l. 12. §. 43. de Instruct. vel instrum. leg. Cobm. Vol. 3. resp. 9. n. 32. & resp. 49. n. 73. Qvibus Juris metallici periti ex Ordinatione Divi Georgi Tit. 128. §. wiewohl anhero. & Ordin. Joachim. art. 1. part. ult. alium jungunt, si debitor sit fugitus, vid. Peribustr. Dn. a Schoenb. art. 17. §. 1.

### Thef. XII.

Alterum, quo in metallifodinis partibusq; destruere conantur hypothecas Juris communis, natura & conditio juris circa res metallicas constituti argumentum ipfis suppeditare videntur. Inter omnes constat, de personis, rebus ac negotiis metallicis singularia, & a jure communī aliena omnino constituta receptaq; esse, ut adeo causis metallicis determinationem & analysin ex jure communī impo-

## DE HYPOTHECA LEGALI IN FODINIS

imponere velle, nefas utique & ~~μεταβασις εις άλλο γένος~~ videatur. In hanc sententiam Vallenses apud Span. Berg Urth. tit. II. §. 4. n. 433. responderunt. vid. Heig. p. I. qv. 13. n. 15. Dn. Eisenb. l. c. cap. 6. t. b. 5. Plane tum alibi, tum in his prae-  
fertim terris speciales Ordinationes metallicae reperiuntur, qvibus tuendis a Principibus & Electoribus Saxon. non  
tantum peculiaria Collegia & Judicia, superiora & inferi-  
ora, qvae jus reddunt dicuntqve, constituta sunt : verum  
etiam a bene multis annis Scabinatus metallicus in Urbe  
Freiberga conditus, Magistratuique primariae hujus me-  
talliferae Civitatis concreditus, solus de Jure metallico re-  
spondendi facultatem habet, & antiquitate omnia Colle-  
gia respondentium de jure in his terris antecedit, de qvo  
legi merentur, qvae adducit Moller. Theatr. Chron. Freiberg.  
sect. 4. cap. I. p. 439. Agricol. lib. I. de Remetall. p. 66. Huc  
facit omnium ore decantatum Mandatum Elect. Christian.  
I. de dat. 9. April. 1609. qvo reliquis Collegiis & Judiciis  
interdictum, ne qvid in rebus metallicis decernerent aut  
judicarent, nec processus Juris communis in causis metal-  
licis admitteretur, neve juris communis periti tantum, me-  
tallicarum vero legum imperiti in tractandis causis metal-  
licis adhicerentur.

### Thes. XIII.

Affine huic argumento est, qvod ab Arrestis peti so-  
let. Arrestum legitime impetratum tribuit jus reale, qvod  
jus hypothecario simile est, nec tamen ad hypothecam  
expressam, nec tacitam referri potest, ut recte docet Sven-  
dend. ad Fibig. part. spec. cap. I. n. 563. p. 1170: qvamvis actio  
ex isto jure reali descendens abusive interdum hypothe-  
caria dici soleat. Carpz. tit. 21. art. 5. n. 28. Svena. d. I. p.  
-oqni existo

1194. n. 578. conf. O. J. S. tit. 48. § tit. 61. Etsi vero arrestum generale, qvod in Aula Elector. a Collegio, qvod Regiminis vel Cancellariac nomine venit & omnia, quae ad juris justitiaeque administrationem pertinent, moderatur & dirigit, impretratur, omnia bona debitoris, praesentia atque futura, [exceptis tamen iis, quae in tribus Episcopatibus sita] afficit, O. J. S. d. l. tit. 51. §. wenn aber in unsrer Eangley: arrestum tamen hoc ad causas metallicas neutquam extenditur; quod ad modum judicatum refert in famosissimo concursu Lebzelteriano B. Ziegel. de Jur. Maj. lib. 2. c. 19. th. 18. § 19. Neq; vero etiam a Collegio & Judicio metallico arrestum hoc decerni potest, nisi debitum metallicum sit. Perillustr. Dn. a Schoenb. d. l. art. 16. p. 230. §. wenn aber die Schuldforderung Span. Berg. Urth. tit. II. §. 3. ejusd. specul. Jur. metall. cap. 30. §. 2. § 4.

Thes. XIV.

Delabuntur porro ad feudorum jura, cum quibus fodinae partesque metallicae, ajunt, quandam cognationem habent; si non jus, qvod exercitores in his rebus nat. Eti sunt plane simile vel idem est, ac illud, qvod Vasallus in feudo habet. Qui enim exercere fodinas metallicas volunt, non proprio ausu nec in suo quidem hodie id facere possunt, sed petitione quadam opus est, quam Muthung / Muthzettul vocamus, quam deinceps concessio, die Verleihung / a Magistro metallico facta, seqvi solet. Sunt etiam verba der Lehn / Lehnshafften / Lehnträger & similia vel pueris in tractibus metallicis notissima. Jam vero tacitae hypothecae in feudis nullus locus est, quandoquidem sine domini consensu nec expressa hypotheca constitui possit.

3. F. 55. 2. F. 8. jun. 1. F. 3. 2. F. 44. § 52. Constit. saxon. 25. p. 2.

C

ibique

## DE HYPOTHECA LEGALI IN FODINIS

ibique Carpz. def. I. G. D. tit. 45. §. wenn aber gleichwol. Atque licet onera feudalia, quae vocantur, ob quae jus retentionis quoque competit, speciem hypothecae tacitae praes se ferant, hanc etiam Constitutio Saxonica certo casu mulieribus tribuere videatur, Dn. Martin. ad. O. P. S. §. II. tit. 45. n. 2. retamen penitus inspecta vix admittendum id est, cum leges sileant. conf. Dn. Praef. Exerc. Feud. 16. tb. 36. Dn. Lynck. Analect. ad Struv. S. J. E. c. 14. aph. 17. n. 2. Brunn. cent. 5. dec. 10. n. 7.

Thef. XV.

Tum protrahunt jura circa Emphytevscos contratum ordinata, quibus convelli eos autumant, qui tacitae in rebus metallicis hypothecae favent. Hoc itidem jus quod originem ex re Romanotum publica traxit, atque ad excolendos, belli calamitate steriles factos, posteaque militibus vel aliis concessos, agros excogitatum singularia quaedam continere, nemo inficiabit facile. conf. Dd. ad tit. ff. Si ager vect. petat. Evidem inter Doctores Juris Civilis interpretes lis est, utrum hypothecae constitutio in rebus emphytevticis habeat locum, uti videre est apud. Berlich. p. I. Concl. 67. n. 106. Qvicquid vero sit de jure communi, quod nec in his rebus abhorre hypothecas videtur, nec fundos emphytevticos a legalibus excludit, conf. l. 31. ff. de pignor. & hypoth. Berlich. d. I. certe jure Saxon. Elect. bona emphytevtica non, nisi accedente domini consensu, oppignorari queunt. Constit. Elect. ; Saxon. p. 2. §. Wenn auch. O. P. J. tit. 46. §. Wenn aber. & §. Würde sichs auch zutragen: quo deficiente nec tacitae hypothecae locus esse potest, ut supra de feudis dictum. Similicquid in aliis quoque Constitutionibus Provincialibus,

supradic  
bus,

bus, qvo pertinent Constitutiones Henric. Jul. Duc. Brunsvic. & Luneb. Wegen nicht Veräusserung oder Beschwerung der Lehn-Erbzins- oder Meier Güther de ann. 1593. & 1640. Herzog Friedr. Ulrichs Landtags Abschied. de ann. 1619. Fürstl. Braunschw. Lands Ord. §. Niemand soll Lehn-Erbzins. 30. reperitur. Postquam autem plerique eo abeunt, culturam argentifodinarum similem esse quoad substancialia emphyteysi, dum fodinae, nullo pretio interveniente, sub legc & conditione cultus meliorationisqve exercitoribus conceduntur, atque si hi a cultura, dilatione legitime non impetrata, desistant, vel recognitionem trimestrem non solvant, jus suum perdunt amittuntque, idque ad illum, cuius est Regale, credit, quia de relate Dn. Eisenb. d. 1. cap. 6. th. 6. 7. Dn. Praef. Exerc. Feud. 9. th. 22. 23: prona consequentia ipsis videtur, idein de fodinis partibusqve metallicis sentiendum esse, quod de emphytevticis rebus Constitutiones nostrae disponunt.

## Thes. XVI.

Hacc fere sunt argumenta satis speciosa negantium. Qvorum tria priora tanti visa sunt Collegio Jētorum Witebergensium incluto, ut non dubitaverit illorum partibus accedere seqventi responso, quod *consulens ann. 1678. accepit.* Sendt ihr unlängst in dem bey dem Lebzelterischen Concursu publicirten priorität Urtheil in die eilfste und zwölftste Classe Krafthabenden stillschweigen. Den Unterpfandes gesetzet worden/und es will von euch dafür gehalten werden / daß solches einer stillschweigendes Unterpfand auch die Lebzelterischen Bergtheile affire, nach mehrern Inhalt eures Berichts.

Wenn ihr nun gleich vermeinet / daß unter dem

## DE HYPOTHECA LEGALI IN FODINIS

dinglichen Rechte / so facto hominis und ex dispositione legis erlanget wird / ein Unterscheid zu machen sey / und jenes anders nicht / als bei dem Churfl. Sächsl. Berggerichte erlanget werden könne / dieses aber von sich selbst bestehet / und alle des Schuldners Güther nach Verordnung der Rechte afficire, gestaldt auch nirgend zu finden / daß von dem stillschweigenden General Unterpfande die Bergtheile ausgenommen seyn solten: Dennoch aber und dieweil in der Churfl. Sächsl. Berg-Ord. art. i. ausdrücklich enthalten / daß wenn einer Schuldhalber zu des Schuldners Bergtheilen geklaget würde / als denn nicht zu denen Bergtheilen / sondern zu seiner des Gewercken Person geholffen werden solle / die Bergtheile auch sonst in vielen andern Stücken eximiret und mit einem besondern Recht begabet werden / So erscheinet daraus so viel / daß euer stillschweigendes Unterpfand auf die Lebzelterischen Bergwerke nicht zu extendiren. B. R. W. ann. 1678.

### Thes. XVII.

Nunc vero dispiciendum qvoqve est, quid pro affirmantium sententia afferti possit, expendendumqve, qvorum rationes pondere vincant. Qvod dum facio, neminem arbitror inficias ire, qvileviter saltēm praeceptis artis hermeneuticae imbutus, leges juraqve, qvibus Civitas utitur, non temere pugnare secum ipsis, neqve etiam temere pugnam eorum, qvae tranquillitati Reipublicae adversa est, allegandam, sed semper id agendum esse, ut nisi omnino liqveat, consensus legum omnium, qvae conditae sunt, asseratur. Dum vero diversis Juribus utitur civitas, ordo observandus est, si vere contraria Jura sunt,

ET PARTIBUS METALLICIS.

unt, ne confusio oriatur. Atque uti alias ab illis semper auspicium ducendum, quae specialissima sunt, atque deinceps ad specialia, tum ad generalia, denique generalissima deveniendum l. 80. ff. de R. J. vid. Oldendorp. praefat. in Class. act. forens. tit. de Ordin. Jur. quem ordinem in materia feudali bene explicat Struv. S. J. F. cap. I. th. 12. seqq. ita & ille in hoc nostro argumento maximopere custodi- ri debet. Quapropter ante omnia Constitutiones metallicae inspicienda sunt, si quaestio de his rebus oriatur. Id quod jubet Christian. II. Sereniss. Saxon. Elect. in Rescripto illo satis noto anno 1609. emiss. Quo loco tamen illud animadvertis, in his legibus locum quoque habere, quod Ulrianus l. 6. §. 1. ff. de V. S. inculcat, verb: ex legibus; sic accipiendum est, tam ex legum sententia, quam ex verbis. Non itaque solis verbis inhaerendum, & si haec deficiant, de decisione desperandum non est; sed id potius agendum, ut juxta regulas bonae interpretationis, ex ratione vel aliunde mens & sententia Legislatoris investigetur, atque efferatur. Atque adeo interpretatio doctrinalis uti a nulla lege nec divina quidem excludi potest: ita a legibus metallicis illam procul abesse jubere, nam valde absurum foret; quamvis nemo negaverit, si ubique in causis certe metallicis, quae simplicitatem amant, omnem cavillationem abesse debere. Qvod si autem casus incidat, cui ex his legibus metallicis vel plane non, vel non omni ex parte decisio peti queat (da unsre Bergordnung garnicht/oder ja nicht vollkommlich decidiret (ut dict. Mandatum loquitur) jubet Serenissimus Saxo illud observari, quod Ducis Saxon. Georgi Ordinatio Metall. art. 138. suggerit. Incidi vero in hanc Ducis Georgi Ordinationem, anno M. DXXXVI. & sic non

## DE HYPOTHECA LEGALI IN FODINIS

adeo diu ante obitum hujus Principis (decessit enim ann. 1539. d. 17. April) promulgatam, quae plures, quam CXXX. articulos non continet, ut adeo mendum in isto Mandato quod post Ordin. Metall. in Corp. Jur. Saxon. habetur, subesse credam. Articulus autem CXXX. ultimus illius Ordinationis haec verba continet: Und was in dieser Ordnung nicht begriffen / oder ausgedrucket ist / soll es bei gemeinen Bergrechten und allda hergebrachten Bergwerks Ubung bleiben. Jubemur hic respicere tum ad jus non scriptum, usus scilicet Metallicorum, quorum quam plurimos esse, nemo, qui inter illos versatus est, ignorat; tum etiam ad jura communia metallica. Sed vero, quae, quae so, sunt illa jura communia metallica? Non male fortassis dixeris, haec jura communia metallica esse usus illos metallicorum, quos antea tum in Misnia, tum alibi effodientes metalla observarunt. Quorum priores iussu Principis Senatus Freibergensis collegit, testante Moller. Theatr. Chron. Freiberg. sect. 1. c. 1. p. 170. & sect. 4. c. 1. p. 433 quosve Deuterus cum Glaviensibus aliisque ann. 1616. Lips. edidit. Neque vero leges illae circa res metallicas in Boemia adornatae excludendae sunt, quas Wenceslaus secul. XIII. declinante, promulgavit, quaeque cum aliis metallicis constitutionibus, illis praesertim, quae in Valle Joachimica conditae sunt, [prodiit autem jamjam tempore Georgi anno 1513. Ordinatio Metallica Schlickiorum] ob aequitatem, illorumque autores rerum metallicarum peritissimos, in aliis quoque regionibus provinciis que usu receptae sunt, paritate, ac jus Romanum in Germania universa olim est admissum. Ad Hispanos etiam & Indos Orientales leges istas Metallicastransfuisse, in Historia Vitae Valentini Eoersteri, celebris Jeti, legi-

tus i

## ET PARTIBUS METALLICIS.

tur; qvi ipse cum Madriti degeret, ad preces Admirandi, Aurifodinarum Praefecti leges, qvas de fodinis Boemis acceperat, in lingvam Hispamicam transtulit, ut iisdem fodinas Indiae Orientalis Hispani regerent. Historia autem vitae Foersteri juncta est libris de jurisdictione Romana, & qvoq; in Monumentis Julii Meieri p. 106. habetur. Atque postqvam in Ordinationibus Vallis Joachimicae recentioribus Ferdin. I. & Rudolph. II. jura ista metallica in ordinem digesta, & proposita sint explicatius: cum in his terris, tum aliis in locis Germaniae metalliferis ad Joachimicas, quas vocant, Ordinationes, ubi domesticae leges silent, tanquam ad sacram anchoram confugere solent; adeo ut de his legibus illud facile affirmare posfis, qvod qvidam de jure civili Romano, esse quasi commune Gentium jus in causis, qvae ad res metallicas pertinere dicuntur. Qvam rem confirmare intellexi Recessum Commissariorum Elect. Sax. de rebus ad cuniculos pertinentibus promulgatum ann. 1684. [Stolzen Recess] qvi ipse ordinem commemoratum atque ad leges Joachimicas metallicas refugium probat.

### Theſ. XLIX.

His igitur utendum, si domesticae rerum metallicarum leges deficiant. Quemadmodum, vero maxime ille peccaret, qvi iſtis legibus praetermissis litigia metallicorum aliunde definire vellet: ita econtrario non damnandus erit, qvi, juribus iſtis metallicis plane deficientibus, ex legibus, qvibus alias utimur, decisionem petit; atque sic primo in his terris ad Constitutiones Electorales, tum ad Jus Saxonum commune, ultimo denique loco ad jus Civile vel Canonicum ſeſe convertit. Qvo minus enim hoc

## DE HYPOTHECA LEGALI IN FODINIS

hoc fiat, nullam usq; vidi, audi viq; prohibitionem. Nam qvae in contrarium ex Rescripto citato supra allegari possunt, eo saltem pertinent, ut primas partes juri metallico deferant, non tamen alias leges in subsidium vocari ventent. Quid qvod exitum rei aliter cogitare non poteris; nec tamen, nisi cum damno civium relinqvi indecisum, potest, qvod legibus metallicis definitum non est. *Dn. Eisenb. l. c. 6. §. 5.* Simili ratione procedendum est, si de interpretatione juris metallici agatur. De eo enim uti nullum dubium, ex oīkeīōi, h. e. suis & propriis principiis, & usu hanc suscipi debere interpretationem: ita neminem, in subsidium jus vocandum esse generalius, negatum confido.

### Thes. XIX.

Qvoniam igitur neq; jure harum provinciarum scripto metallico, neq; non scripto, neq; etiam jure Boemico haec nostra qvaestio: utrum in fodinis partibus qve metallicis hypotheca legalis generalis locum inveniat, definita: qvid vetat, decisionem ex jure provinciali communiq; legales hypothecas generales concedente, derivare, & cū nullibi jura metallica a dispositione illa juris communis fodinas partesq; metallicas excludant: cur non & has res tacito pignori obnexias fieri posse, affirmemus? qvod enim mutatum non est, cur stare prohibetur. *l. 27. C. de testament. l. 32. C. de Appellat. Surd. dec. 195. n. 9. & Consil. 136. n. 9.* Qvin imo cum harum rerum conditio hominum commercium non excutiat, eoq; exemptae nullibi sint; hinc neq; natura sua neq; impedimento legis ab hoc nexu remoyentur: ut adeo ad illum censum qui in titulo ff. & C. qvae respign. vel hypoth. dat. oblig. non poss. habet

## ET PARTIBUS METALLICIS.

habetur, referri non possint, nec illis ad numerari, quae in generali expressa vel tacita hypotheca, ob usum quotidianum vel affectionem, excepta videntur. l. 6. ff. de pign. & hyp. l. I. C. quae respign. obl. ubi Brunn. Bachov. de Pignor. lib. I. c. 7. n. 1. Quidque expresse pro debito non metallico, consensu tamen Magistratus metallici, oppignorari posse has partes, ex art. saepe alleg. i. §. Wolten sich aber / satis, ni fallor, colligitur, & inter metallici juris, peritos quantum novi, pro indubitate habetur. Conf. Mansfeld. Bergordn. art. I. verb. oder es waren die Bergtheile vor dem Bergambte expresse verpfändet worden. Perillustr. Dn. a Schoenberg. art. 16. p. 229. 230. Span. Bergurthelsbuch. Sentent. 420. Et alibi passim.

### Thes. XX.

Atqui forte lege, saltem legis sententia excludi, art. I. Ord. Metall. Sax. dices, unde palmarium negantes argumentum accessere satagunt. Verum enim vero penitus insipienti ponderantiique hunc textum, facile, quid responderi poscit, res ipsa suggeret. Namque licet Serenissimus Legislator hac lege constituat, nulla actione, nisi debitum metallicum tangat, partes istas metallicas pulsari debere: ex vulgatissimis tamen, rectaeque rationi optimae convenientibus principiis liquet, legem novam generalem specialem atque singularem juris veteris dispositionem tollere nequaquam. Quam regulam ex l. fin. C. de Appellat. l. 41. §. 3. ff. de Legat. l. 7. C. de Collat. Menochius lib. 6. de Praef. 38. n. 17. omnino confirmat. Neque vero credibile est, Constituentem Serenissimum, vel antequipsum Divum Georgium, dum hanc legem conderent, uno quasi ictu, quaecunque deinceps majorum Constitu-

D

tiones

## DE HYPOTHECA LEGALI IN FODINIS

tiones, atque Jus Civile a majoribus admissum, magna cura magnisq;e vigiliis excogitata circa hypothecas legales continent, concidere, ac cum aliorum damno homines ad excolendas fodinas invitare voluisse. Sane haec res partim pupillos, partim foeminas illarumq;e dotes tangit; has vero personas atque res quanto favore jus prosequatur, quis ignorat? quin potius dotum favor tanti visus est Divo Johanni Georgio II. ut nec per Statutum, quod pupillorum debita omnibus aliis praefert, illae postpositae intelligi debeant. *Dec. 5.* Et sane in locis metallicis male actum esset cum foeminis pupillisq;, si hypotheca tacita in partibus metallicis maritorum ac tutorū non competeret. Dum enim saepe hi nulla alia habent bona, quā ejusmodi partes metallicas, in quib; comparandis velexcolendis omne patrimonium, modo non spe haud raro inani, consumitur: quid, quaequo, supererit, unde postmodum illis satisfieri posse credas? Remedium causae vulneratae commode & absq;e magno personae rei que favorabilis dispensio, nisi privilegium hypothecae tacitae in rebus metallicis salvum ipsis integrumque tueamur, si speraveris, in eo frustra eris: potius dolosis saepe istis hominibus bonis miserorum atque indefensorum pupillorum aliorumque, quibus jus tacitae hypothecae competit, facultatem inhiandi liberimam reliqueris. *conf. l. fin. C. in quib. caus. restit. in integr.*

### Thes. XXI.

Neque etiam movet, quod de Fisco in d. art. 1. Ord. Metallicarum alleg. habetur, supraquae in partes vocatum est. Patet enim, ipsi jus tacitae hypothecae, quod in bonis secum contrahentium administrantiumque bona-

ad

## ET PARTIBUS METALLICIS.

ad illum pertinentia alias obtinet, ademtum non esse, idq;  
saltem ibidem constitui, ob delicta commissa partes me-  
tallicas publicari, & ad fiscum redigi non posse. Similis  
responsio ad locum ex *Ordin. Mansfeld. Divi Job. Georg. II.*  
adhiberi poterit, qvac qvidem expressam hypothecam  
disertis vesbis admittit, atqve adeo, si a contrario sensu  
argumentemur, qvod argumentum alias fortissimum est,  
*L. 22. ff. de LL. l. 1. pr. ff. de Offic. ej. cui mand.* tacitam exclu-  
dere videtur. Sed norunt illi, qvi regulas intelligunt bo-  
nae interpretationis, huic illationi locum non esse, si qvis  
ad corrigendum jus pristinum uti eadem velit. *Everb. Loc.*  
*Topic. a Contrar. sens. n. 8.*

### Thes. XXII.

Si qvis autem mihi objiciat, hac ratione nihil novi  
in dictis articulis esse constitutum, sicq;e otiosam illam di-  
spositionem fore totam, cum & alias ex debito personali  
in rem agi neq;eat. *l. 3. l. 25. ff. de O. & A. l. 13. C. eod.* nec in  
pignore expresso, si Magistratus consensus deficiat, intu-  
itu rerum immobilium, qvaes sine dubio sunt fodinae  
partesq;e metallicae, *Carpz. p. 3. C. 25. d. I. Zobel. differ.*  
*Jur. Civ. & Saxon. p. 3. differ. 10. Dn. Eisenh. l. c. cap. 3. tb.*  
*14. Jure Saxonico hypothecae jus stabile sit atq;e fir-*  
*mum, neq;e actionem cum effectu pariat, Novell. Elect.*  
*August. p. 2. C. 23. O. J. S. tit. 46. §. aber unbewegliche : illi*  
*responderim, utiq;e qvaedam singularia novaq;e*  
*a jure communi distincta in iisdem occurrere. Namq;e*  
*licet personalis actio tantum adversus personam detur,*  
*non autem in rem eadem competat : potest tamen execu-*  
*tio postea in rem fieri, atq;e hac ratione in re pignus Prae-*  
*torium acq;iri. l. 1. C. si in caus. judic. O. P. & tit. 47. pr.*

D 2

qvod

## DE HYPOTHECA LEGALI IN FODINIS

quod certe intuitu partium metallicarum aliter sece habet. Licet enim debitum sit liquidissimum, non tamen metallicum, aut tacita hypotheca non munitum: nulla certe ratione peti obtinerique a Magistratu poterit, ut ex fodinis & partibus metallicis satisfiat. Quam pariter repulsam feret, qui hypothecam expressam seu conventionalem, destitutam vero autoritate & consensu judicii metallici allegat; qualis hypotheca in immobilibus, si cum debitore ipso, imo & cum creditoribus ejus aliis actio, nec in Saxonia plane inutilis & otiosa est. *Constit. Sax. XXIII. Decis. IX. LXI. Dn. Struv. Jurispr. lib. 2. tit. 35. tb. 9.* Ut deniqve taceam, his textibus jus praelationis datum esse debitis metallicis de quo infra dicam.

Thef. XXIII.

His deductis, sublataque vi primarii negantium argumenti, reliqua fere sua sponte concidunt. Quod enim ad secundum attinet, ex dictis thef. 18. seqq. satis, apparet, nihil affirmanti sententiae illud officere. Sit enim singularis natura juris metallici harumque rerum; esto, controversias has ex jure metallico decidendas esse: satis tamen, puto, constat, jus quoque commune in subsidium vocandum hic esse, nec plane finibus montium exterminandum. Hoc loco illud saltem moneri visum est, Rescriptum Electorale, cuius mentio saepius & supra tb. 17. facta, non omnes omnino Jctos jurisque communis peritos repellere a tractatione causarum metallicarum: sed constantum, qui horum jurium metallicorum plane sunt imperiti, ibi: und nicht derselben unerschrockne Juristen. Quod si ergo Jcti & harum rerum peritia polleant, vel ex harum rerum peritis, quid jus metallicum ferat, & quae conditio

bcp

## ET PARTIBUS METALLICIS.

fit rerum, de quibus quaestio, intelligent perciptantque:  
cur non de his & illi judicare, juscque ad factum applicare  
possent? Qvod ipsum quotidie fieri in rebus aliis vide-  
mus, dum de controversiis nauticis, oeconomicis, merca-  
torum aliisque respondere Collegia juridica, experientia  
loquitur. Quid, qvod in his terris Jectorum Collegia tum  
Lipsiae, tum Witebergae, a controversiis rerum metal-  
licarum decidendis judicandisque exclusa non esse omni-  
modo, praxis itidem testatur. Saepius contingere no-  
tum est, non tantum superiorem Praefecturam Freibergen-  
sem, sed etiam Collegium metallicum summum, cui Can-  
cellariae metallicae nomen est, acta ad ista Collegia jubere  
transmitti, illorumque exigi responsa. Id qvod illis quidem  
praesertim casibus fieri assolet, ubi causa non tam ex jure  
metallico, quam jure communī decidenda venit. Plane  
si in causis istis metallicis ad ipsum Serenissimum Electo-  
rem Saxonum appellatum est, causa a Princeps ad incly-  
tum Senatum Provocationum, in partes vocatis quibus-  
dam rerum metallicarum peritis, & inter illos Praefectis  
metallicis, (Ober Berg- und Hauptleuthe) deferri solet.  
conf. Perillustr. Dn. a Schoenb. d. l. tit. 6. § 15. p. 215. 228.

### Thes. XXIV.

Istud argumentum, qvod ab Arresto petitum, parum  
nostram sententiam premit. Constat, arrestum vim ac-  
cipere a Judice, atque adeo rem afficere non posse, nisi  
ab illo Judice, cuius jurisdictioni Princeps rem istam sub-  
jicit, petitum impetratumque sit. Hypotheca autem  
nostra tacita a lege, ab ipso Princeps lata, immediate fluit,  
atque adeo omnia bona hac ratione afficit, quae sub Le-  
gislatoris potestate imperioque reperiuntur. Cum deni-  
que

## DE HYPOTHECA LEGALI IN FODINIS

que hypotheca nostra recipie ab iure illo, quod per arrestum obtinetur, plane diversum quid sit, ut jam *tb. 13. dictum*, a diversis male inferri, palam est. *conf. Barbos. thesaur. loc. comm. lib. 4. c. 44. axiom. 4.*

### Thef. XXV.

Eadem ratio quartum quoque argumentum convellit. Namque jus, quod Vasallus in feudo habet, plane diversum esse a iure, quo exercitores fodinarum metallicarum fruuntur, ulteriori disquisitione indigere plane non videtur. Neque enim si quaedam, quae ad unum negotium pertinent, in alio quoque reperiuntur, statim concludere licet, idem adesse negotium. Petition illa concedendi exercitiū metallicū certe non efficit, ut id, quod petitum est, feudum dicere possis; neque etiam verba in negotiis feudalibus usitata, si in aliis rebus adhibentur, feudum constituunt. Vocabulum Muthen / quod Germanis idem est, ac ansinnen / ansuchen / bitten / in aliis, quam feudalibus, negotiis itidem usurpari, mos ille opificibus, qui ad magisterium adspirant, familiaris satis superque declarat. *Wehner. voc. Muthzettul. Dn. Praeses. Exercit. Feud. 14. tb. 2.* Ut taceam, vocem Muthzettul aliter apud Metallicos, aliter in Curiis Feudalibus accipi. Namque in moribus istorum *tb. 13.* Muthzettul schedula vocatur, quae Magistro montium exhibetur, quae facultas exercendae fodinae petitur, cuius formulam exhibet *Perillustr. Dn. a Schoenb. in Vocab. Metall. voc. Muthzettul.* In curiis autem Feudalibus breve testatum ita vocari solet, que Dominus vel Curia feudalis fatetur testaturque, investituram petitam esse, cui testato opponitur *der Ansinnungs Zettel/ Lehnsinnung/nec non attestatum,* quo

sup

Q

qvo Dominus vel Curia Feudalis fatetur, investituras factam esse, & vocatur der Lehnsschein. *Struv. S. J.F.c. II. tb. 4. & Dn. Lynck. ad Struv. cap. 8. aph. 8. n. 1.* qvamvis in his terris Muthzettul und Lehnsschein pro uno eodemq; testato accipi soleant, cum nulla peculiaria attestata, petitionem factam esse, dentur, sed tum demum, qvando investitura facta. *Mandat. Fleet. Feud. [Lehn Mandat.] de 1691. den 12. Novembr. Dn. Praef. Exerc. Feud. 14. tb. 32.* Ex voce deniqve Lehn / verleihen / Lehnsschafft / nihil confici potest, cum has voces in rebus etiam allodialibus & Ecclesiasticis locum invenire notissimum sit, denotareq; qvamcunq; concessionem vel collationem alicujus juris, qvatenus concedenti aliquod jus pariter reservatur. *Constit. August. 39. p. 2. Eyben. Elect. jur. Feud. c. 6. §. 7. Dn. Praef. Exerc. Feud. 2. tb. 3. 20. & Exerc. 3. tb. 23.* Qvod certe formam essentiamq; feudi constituit, atq; sine destructione illius abesse non potest, Fides feudistica est. *2. F. 6. Dn. Praef. Exerc. 2. tb. 15. & 16.* qvae ipsa cum in hoc negotio atq; jure, qvod inter Dominum, cui Regale jus metallorum competit, & concessionarium geritur constitutumq; est, non reperiatur, neq; res ipsa adcsse intelligitur. Imo vero nec naturalia feudi, qvae sunt juramentum fidelitatis & praestatio servitorum feudalium, hoc loco conspicis. *Dn. Eisenh. l.c. cap. 4. tb. 8.* Quid, qvod nec in bonis feudalibus hypotheca tacita plane cessat. *conf. Const. Sax. XXV. p. II. Q. J. S. tit. 45. §. fin. ubi Dn. Martin. & §. wenn aber. cod. tit.*

## Thes. XXVI.

Ultimum restat, qvod ab emphytevi est petitum, nec tamen, qvamvis speciosum sit, qvicqqam efficiet. *Evidem*

## DE HYPOTHECA LEGALI IN FODINIS

quidem non sum immemor, quae de similitudine, qvoad substantialia negotii jurisq; metallici cum emphytev-  
tico supra dixi *th. 15.*: attendendum tamen & illud est, in multis, quae naturalia vocantur, dissimilitudinem aeqvem ac similitudinem deprehendi, quae exposita latius sunt a *Dn. Praesid. Exerc. Feud. 9. th. 25.* & *Dn. Eisenb. l. c. cap. 4. th. 7.* Sed vero qvicq; sit de hac similitudine, illud vix asseri poterit, unum plane idemque esse negotium, istamq; analogiam ad infringenda ea, quae firmo juris atque singularis favoris fundamento nituntur, validam judicari posse. Potius istos haud aberrare a vero existimo, qui negotium, qvod inter Dominum, qui regale jus metallorum habet, atque exercitores intercedit, jusque inde resultans singulare plane affirmant, juriq; Romano incognitum.

*Dn. Praes. d. l. th. 26.* Qvod si ponamus, eadem obviabit responsio, a separatis male fieri illationem, atque adeo ex Legib; provincialib; consensum domini, praeter consensum judicis, in bonis emphytevticis exigentibus, nullum huc transferri posse argumentum, praesertim cum leges istae jus commune, & quidem in materia Juris communis corrigant: quales leges strictissime explicandae, nec temere ad alia extendi possunt. *l. si quando. 33. C. de in offic. testam. l. I. C. de inoff. dot. Abb. cons. 78. in pr. lib. 2. Cardin. Tuscb. tom. 2. lit. c. concl. 1037. n. I. & concl. 1038. n. I. Barbos. Thesaur. locupl. lib 3. c. 97. axiom. 7. seqq.* Qvin & nondum extra omnem dubitationem positum est, Constitutiones nostras supra *th. 15.* adductas hypothecam tacitam plane excludere. *Berlich. p. I. concl. 67. n. 107. & ibid. cit. Rautbb. p. I. quaest. 264. n. 26. seqq.*

masdivp

Theſ.

Theſ. XXVII.

Dum haec utriusque ſectae argumenta, qvae ex Dn. Praefidis doctrina haui, cogito animoqve volvo: tan- tum abeft, ut, ſedulo licet id agens, avthenticam decifio- nem reperire potuerim, ut potius expertus fuerim, ne ul- lum qvidem Doctorum scriptorumve rerum metallica- rum diſcussionem hujus controverſiae attigiffe; niſi qvod apud Löhneſium part. 5. Ord. Met. qvam privato auſu medi- tatus eſt, artic. 55. §. Was ſonſten der Weiber frāul. Gerech- tigkeit halber/auch mit denen Arresten und Kün̄mer/in Fällen/ da die Creditores ſuper prioritate handeln/ zu rechteverſehen/ laſſen wir in ſeinen Würden und Wesen bleibent; habetur huc trahendum: ex qvo affirmantium ſententiae robur videtur accedere. Dubius vero licet atqve anceps hac in re haeferim, fateor tamen, in affirmativam ſententi- am me abire illamqve exercitii academicī cauſa, pro ea, qva libertate in ſcholis utimur, defensurū, qvi aliam certe lubens amplexurus ſum, ubi vel meliora doctus, vel lega publica aliud ſtatueret jufſus fuero.

Theſ. XXIX.

Sed vero his immoranti in mentem veniunt partes illae hereditariae, qvae ipſae domino fundi, in qvo fodi- nae exercentur, juxta leges metallicas ſo latii loco, ob va- rias cauſas incommodaqve, qvae pati iſte cogitur, affi- gnantur, codem modo, ac olim decimae jure Romano. I. 3. C. de metallar. Et metall. & vocari ſolent Erbfuge/ de qvibus in Ord. Met. Sax. art. 72. nec non Inform. Metall. Perilluſtr. Dn. a Schoenb. voce Grundherr/ plura legi poſſunt. jung. Dn. Eiſenb. d. l. c. 2. tb. 39. Et Dn. Praef. Exerc. Feud. I. tb. 19. 29. De his partibus illud imprimis habendum, ſem- per fundo easdem cohaerere, nec poſſe ab codem separa- ri,

## DE HYPOTHECA LEGALI IN FODINIS

ri, adeo ut ad omnes possessores transeant, cum ea omnes incommoda sentiant, ob quae portiunculæ istæ fundo relinquentur. Causas hujus rei, ut omnia, egregie explicat Vir summus, & ut de universa publica re, ita imprimis de rebus metallicis summe meritus *Per illustris Dn. Schoenbergerius d. l.* Qvoniam itaque hæc partes inseparabiliter cum fundo cohaerent, necesse est, pari jure cum illo conscribasdem. *arg. l. 76. de R. V.* Si igitur fundus jure tacita hypothecæ alicui obnoxius est, non potest non etiam jus hoc simul partem istam hereditariam afficere, & si fundus alienandus est ob debitum, propter quod hypotheca tacita legalis constituta, partem acque istam alienari est necesse. Id quod certe locum quoque haberet, si maxime illud daretur, alias partes ab hypotheca legali generali esse exemptas. *arg. l. 24. ff. de contrah. Emt:* ex qua discimus, multa per consequentiam fieri, quae directo fieri non possunt, multaque sub complexu vendere alienare vel licere, quae sola commercium humanum respuunt. *conf. c. 13. X. de Jur. Patron. Dn. Stryck. Cautel. Contr. sect. I. c. 3. n. 12. in f. Dn. Hopp. ad §. 5. 7. de Emt. Vend.*

Theſ. XXIX.

Ceterum nostram hypothecam tacitam vim suam in illis casibus imprimis exercere, qui in fine *tb. IX. supra* sunt relati, dubio caret. Ut vero hypotheca tacita generalis rem cum omnibus accessoriis, imo universa debitoris bona afficit; ita & haec hypotheca in fodinis partibusque metallicis omnia accessoria, de quibus supra dictum, *tb. IIIX.* tangit, praesertim autem fructus, (die Ausbeuthæ) de quibus res minus dubii habet, quod, ubi percepti sunt, wenn die Ausbeuthæ geschlossen / separatam rationem, a rebus metallicis quodammodo habere videntur. Nam licet

## ET PARTIBUS METALLICIS.

licet in art. 1. O. M.S. partes metallicae & fructus conjungantur : facilius tamen ob debita etiam non metallica executio in hos fructus concedi solet, quam in ipsas partes earumque accessoria. Qvod, nisi fallor, innuere mihi videtur Perillustr. Dn. Schoenb. art. 17. §. da nun die Klage. fol. 232.

### Thes. XXX.

Illa vero, quae de hypotheca tacita generali afferui, ita temperata velim, ut hacc semper cedat debitum metallicis hypothecisque specialibus pro iisdem constitutis, licet generalis illa hypotheca tacita antiquior sit. Hoc illud ipsum est, qvod in legibus metallicis supra saepe citatis noviter & praeter jus commune introductum dixi tb. XXII. Jure enim communi inter hypothecarios is potior est, qui prior tempore, i. e. cui res prius obligata. l. 8. 10. & 11. ff. qvi pot. in pign. licet prior tacitam saltem & generalem hypothecam, posterior autem expressam & specialem habeat. l. 2. ff. d. t. l. 2. C. de privil. fisc. nisi fortassis alio privilegio jureque posterior hypotheca sit impraeagnata. Nov. 97. c. 4. l. 7. C. qui pot. in pign. l. 17. C. de pignor. O. P. S. tit. 43. §. Also wenn. Dum vero leges metallicae debita ista metallica semper separant ab aliis debitis, aliisque anteponunt, jus praelationis utique concessisse illis videntur, sine quo jure praelationis res alioquin metallica non foret salva, publicaque commoda impedirentur, dum nemo temere in hanc causam creditum contraheret, si praelationis jure munitum se non sciret. Quae ratio cum in illis debitis cesset, quae metallica proprie non sunt, pro quibus tamen hypotheca expressa est constituta auctoritate judicii metallici: parum abest, quin credam, huic hypothecae nullum jus praelationis tribui posse, sed illam cum

QK  
TK  
2590

## DE HYPOTHECA LEGALI IN FODINIS

tacita pari passu ambulare, & inter illas nullam, nisi temporis prioritatem esse attendendam; quamvis Ord. Metall. Mansf. art. 1. in diversa abire, & ejusmodi hypothecae expressae vim debiti metallici tribuere videatur. Posset etiam ratione dotum ex Dec. Elect. Saxon. 5. dubium moveri: sed de illo in conflietu disputabimus, si occasio feret. His ita stantibus, reliqua, quae jure communi de hypothecis hypothecariaque actione constituta, huc applicari poterunt, nisi diversitatis ratio quaedam dari atque doceri possit. Quorū pertinet, quod hypothecarius jus suum amittat, si proprietarius ob non praestitam symbolam indicāt debito tempore jure retardatorum jus suum perdat, partesque metallicas amittat, & illas aliis exercitoribus accrescant. Qua de re art. 38. 58. 62. Ord. Metall. Heig. p. 1. qu. 13. n. 51. Agricola lib. 4. de Re Metall. Span. Berg-Urth. Buch tit. 5. videri possunt. Dum enim resolvitur jus debitoris, jus etiam creditoris resolutum intelligitur, neque hic jus cum re ambulat: quod ita singulariter rei metallicae ejusque culturae causa est constitutum. Cautela est itaq; pro hypothecario, ut ipse solvat hanc symbolam, ne negligentia domini obsit, damnumq; conciliet. Perill. Dn. a Schoenberg d. l. voc. Schichtmeister §. 36.

Theſ. XXXI.

Plenius haec excutere, pluraq; adducere, instituti ratio non patitur, dum unicum saltem monuero, specialem illam hypothecam juris communis, cuius tb. VIII. n. 3. supr. mentio facta est, in fodinis quoque partibusque metallicis obtinere: quod ex deductis facile seqvi arbitror.. Numen nunc Divinum sanctissimum supplex ego veneror, atq; ut gratia sua meis semper actionibus adesse confirmare-  
que easdem velit, animo devoto deprecor.

F I N I S.

B. N. 5319  
h. 62, 12.

H  
L  
E


III

C  
J. V.

Sca

Domi

GEO



Kodak  
LICENSED PRODUCT  
Black

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Centimetres